



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis,
Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis**

Nieremberg, Juan Eusebio

Paderbornæ, 1711

Decas I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50306)



Dictamina Christiana

DECAS I.

VAlor est rerum, utilitas ejus usus. Ci-
thara non sonat nisi pulsata, & fax
extincta non illuminat. Non omnes nô-
runt Fide uti, neque multi, uti par est, vi-
vere in illa. Verâ quidem Religione gau-
dent Catholici, sed usu ejus duntaxat bo-
ni, vitâ justî. Quid prodest tam grandis
possessio, si careas usufructu?

2. Res meritò deploranda! adeò nos
incautos vivere, ut minor cura sit luminis
Fidei, ac lucernæ. Nè in noctis obscuro
deviemus ad cœnum, auxiliari lumine
præcavemus; nè quis in densissimis
mundi hujus tenebris æternitatis disci-
men adeat, aut præceps corruat, nemo
est, qui Fidei facem admoveat.

3. Qui non operatur bene, Fidem habet
otiosam: qui operatur malè, mortuam.
Non quiescamus in hoc, ut cæleste illud
donum inhæreat nobis; agamus, ut ap-
pareat esse. Dum animæ inest, donum
est; dum in opus transit, sanctum. Non
sufficit

sufficit esse in intellectu, sit & in manibus. Per illum credimus vera, cum his credimus verè.

4. Charitas vita est Fidei; indè animatur, & noscitur esse. Non satis est Christiane! ut sis fidelis, opus est esse justum quoque. Quid honoris Deo obvenit à malis? quid boni à mortuis? Justus est, qui ex Fide vivit, vivit verò per charitatem: quemadmodum corpus ex cibo vivit, sed mediante animâ, quæ vivificat corpus.

5. Non solùm ut credas, Fides proficit, prodest ut & intelligas, & opereris. Quem veritates æternæ convicerint, non potest non malè sentire de temporalibus. Qui verò utrumque conjungit, ille enim verò opera præstiterit Christiano digna.

6. Auxiliari vitro, quo brevior visus adjuvatur in corpore, eodem mentis acies hebetatur. Oculus animæ Fides est, ocularia passionibus: per has quidquid intuitus fueris, colore vitri imbutum credes. Sed acutus est oculus Animæ, si expertus passionum sit, pravisque affectibus liber; non eget fallaciâ vitrorum.

7. Qui vel oculis obligatis, vel per ob-

F 5

seuros

ſcuros meatus ducitur, acie licet optimâ inſtructus, negliget tamen perfacilè, quidquid ei vel pretioſiſſimum occurrerit. Idem evenit Fidei lumine imbuto, qui ductum illius non ſequitur.

8. Si res contueremur oculis Fidei, non ſenſuum, aut opinionis, minùs foret, quod nos affligeret, & plùs quod felicigaret. Fallimur non luminis defectu, ſed admixtione.

9. Fidei dogmata non ſolùm in ſe ipſis certa ſunt: ſed & in eo, quod pollicentur. Qui ad aliud lumen objecta expendit, videbit nihil, & inſtar cæci oberrabit.

10. Non ineptè dictum fuit à quopiam, intentionem veluti ſagittam rectâ tendere ad ſcopum. Quodſi autem ſagittarius orbis ſit oculis, quò ſe telù feret? quem Fides nõ direxerit, toto ſanè cœlo aberrabit.

DECAS II.

II. Senſus noſter ſimilis eſt trigono: hoc reddit objecta quidem, ſed inverſa, confuſaque colorum ſerie, tametſi viſui non ingrata. Vix aliter iudicamus de rebus; invertimus, & alias reddimus ac ſint. Quod mundus honorificum cenſet, vile eſt;